AUGUSTINI MARIOTTI ROMANI PRESBYTERI S.T.D. EPISTOLA...

Agostino Mariotti



AUGUSTINI MARIOTTI
ROMANI PRESBYTERI S. T. D.

EPISTOLA
QUA C. V.
PASCHALI MAGNONIO
Auctori Dissertationis de veris Posidoniæ & Pæsti Originibus
COMMENTARIOLUM
DE NUMMO NEPTUNI
ARGENTEO INCUSO
DONO MITTIT
SIVE AD COMMENTARIOLUM

MANTISSA.





ROMÆ MDCCLXIV.
EX TYPOGRAPHIO HERMATHENAEO
PRÆSIDUM FACULTATE.

A. Ω.

AUGUSTINUS MARIOTTUS S. D. PASCHALI MAGNONIO V. C.



COMMENTARIOLUM meum de Nummo Neptuni argenteo incuso, [sic enim inscripsi], anno MDCCLXII. typis Romanis editum, tibi, Magnoni Clarissime, dono mitto. Etsi vero nulla antehac nos inter aut officiorum, aut amicitiæ necessitudo præcessit, locaque ipsa disjungunt, erit nihilominus tibi pergrata isthæc ad te colendum animi mei propensi significatio, &, (quod jacitur nunc), primum veluti amicitiæ nostræ fundamentum; *cujus fructum*, ut cum Cicerone *epist.* ad Appium Pulcrum, XII. *lib.* III. *juxta emend. M.A. Muret.*, *edit. Hier. Scot.* MDLXX., loquar, *mihi propono ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, præsertim in iis studiis, quibus uterque nostrum devinctus est; nam tibi me profiteor & in Repub. Literaria*

 so-

socium, in qua idem hac de re *sentimus*, ut inferius, *& in quotidiana* fere *vita conjunctum cum iis artibus, studiisque, quæ colimus*.

Ad hæc, duæ caussæ sunt, cur ego Commentariolum non tam dono mittam, quin potius tibi debeam; primum, quod in Dissertatione *de veris Posidonia, & Pæsti originibus*, (qua uti, & frui beneficio literarissimi Viri D. Emmanuelis de Roda Catholici Regis apud Pontificem rerum gerendarum summi Administri mihi datum est), *pagin*. xxv. Diatribam spondes editurum re de nummis Posidoniaratum, ac Pæstanorum luculentissimam, cui hercle non est æquum, nummum isthunc meum Neptuni argenteum, seu verius Posidoniorum, desiderari. Deinde, quod meo Commentariolo tantum ab Dissertatione tua splendoris, atque auctoritatis accedit, ut sententias meas omnes illa confirmet: ac proinde, quantum tibi literaria res hac in parte, cives, ac patria debent, quominus tantundem ego unus debeam, non recuso.

Arenim enumerabo jam, quæ Commentariolo a tua Dissertatione maxima bona obvenniunt, ordinem prosequutus, quem in eo jamdiu servavi.

I. quæ in antica mei nummi parte figu-

ra insculpitur, Neptunum esse, præterea neminem, ex crinibus, barba, carbaso, habitu corporis, ac tridente adversus illos, quos tacite innuo, *Comm. pag.* VII., rationibus a veterum philosophia, ac mythologia petitis evincere sum conatus, *Com. pag.* IX. *ad* XVIII.

II. epigraphem illam curtam, monosyllabam ΠΟΣ, sive characteres toti essent græci, sive alienis etiam permixti, ποσειδᾶνα perlegi debere demonstravi, *Com. pag.* XIX.

Atqui profers modo, eruditissime Magnoni, in tua Dissertatione, *tab.* I., sex nummos, qui & clarissime Neptunum exprimunt, & epigraphem absoluram habent ποσειδω, ποσειδανια &c. Ergo figuram illam Neptunum esse, & monosyllabam πος, (quam solam primus etiam a te editus, *tab.* I., nummus exbibet), ποσειδᾶνα legi oportere evincunt.

Itaque per te constabilitam habeo nummi partem anticam. Venio ad posticam.

I. postica a me editi nummi pars cava est, eamque incusam vocavi, h.e. intus cusam; nam vocabulum hocce *incusum* & nummos, quos *non cusos* vocant, (in Jobertii sensu, non vero Sperlingii), & nummos cavos, h.e. intus cusos, ut ex Auctorum lectione constat, comprehendit.

 Jam

Jam vero ex viginti, quos juris publici ad calcem Dissertationis facis, *tab.* I. duo primi cavi sunt, ac de primo *nummus unus*, inquis *pag.* XVI., *argenteus apud me est antiquissimæ sane signaturæ, qui cavus ex una, impressus ex altera cernitur:* & paullo inferius de altero: *horum vero omnium antiquissimus ille est... ex una cavus, ex altera impressus.*

II. in *Comment. pag.* XXII., discrimen afferrens, quo postica mei nummi pars ab antica differt, dixi, inter cetera, quod, licet in postica nummi parte Neptuni *dextera, sinistraque manus eodem, ex æquo ac in antica, repræsententur modo; itaut eadem de caussa tridentem adesse omnino oportuisset, tridens nihilominus non apparebat.*

Porro duo primi laudati tui, I. *tab.*, nummi utrinque in postica parte Neptunum exhibent, qui sinistra manu tridentem habet.

III. quoniam ejusmodi cavitatis caussa distractas fecit Antiquariorum sententias, meam etiam, & a nemine excogitatam antea, de novo protuli; (id enim unum impulit me potissimum, ut Commentariolum typis ederem); atque, pro ingeniolo, explosis Begeri, Jobertique rationibus, dixi, ad nummum illum effor-

efformandum duo conspitasse diversa, atque opposita exempla *due conj*, cavum unum, alterum prominens *di rilievo*; ea præsertim ratione, quod, si imaginem in nummis prominentem, ut moris ubique gentium quotidie est, faciar, arque exprimat exemplum cavum, (*madre*, *stampa*, *conio* lingua patria); contra, imaginem cavam exemplum prominens efformare debuit: nam eadem omnino est ratio contrariorum.

Arque hic liceat mihi paullo digredi ad Auctorem Ephemeridum rei literariæ, qui in sua *Biblioteca moderna*, *ovvero Estratti di libri nuovi*, *e Memorie Storico-letterarie per servire di continuazione alle Novelle della Repubblica letteraria stampate in Venezia*, *per il dì* 4. *Giugno* 1763., *pag*. 170., hæc habet: *Due sole annotazioni ci piacerà il soggiungere circa il contesto finale di questo* ... *opuscolo*: (loquitur de meo Commentariolo), *colla prima siamo documentati* delle belle nozioni, che trasse l'Autore *si dalla Raccolta di Lorenzo Begero*, *che dalla scuola delle medaglie scritta dal P. Jobert*, *pria*, *che esso scendesse a farsi interprete delle due figure qui rappresentate*; *la seconda &c.* Nam vel nimis generice Auctor iste sententiam meam indicavit,

 vel

vel, absit invidia verbo, sensum meum non est assequutus; etenim tantum abest, ut ex Begero, Joberrioque profecerim hac in re, veluti ea verba *le belle nozioni, che trasse* innuere videntur; quin potius contra utrosque sit assertio mea, quæ illorum rationes de ejusmodi nummis cavis ad evidentiam usque, nisi me amo, profligat. In reliquis, profiteor ex animo debere me eidem Ephemeridum Auctori, quod Commentarioli analysim fecerit exactissimam, majoribusque illā laudibus elucubrariunculam extulerit.

At ad Dissertationem tuam revertor, in qua, licet, ne verbum quidem facias de antiquariorum disputatione de nummis cavis, ejusque rei caussam investigare ne vix cogitaveris; nihilominus duo a te editi I. *tab.* nummi novam excitarunt mihi rationem, quæ sola forsan in Commentariolo est a me prætermissa, sententiam meam firmandi.

Itaque, *Comm. pag.* XXVII., dixi jam, quod, *si superior nummi imago modo, quo contendit Jobertius, malleatoris celeritate reddi in infero argento debuisset, debuisset sane reddi antica simillima*, & quidem omni sui parte: quod verum est adeo, ut neque in dubium modo, neque posthac verti a quoquam possit.

Jam

Jam porro, missa facio potiora argumenta, videlicet, quod Neptunus in antica nummi mei parte carbasum post terga sinuosum habens, videntibus pectus exhibet; in postica vero carbaso pectus abscondit, atque alia momenta, quoniam eo loci a me allata sunt; & contineo me in ora nummi, cujus, ut dixi, animadversionem, solam forsan, prætermissam, duo a te editi primi nummi modo exciverunt.

Revocata igitur in memoriam invicta illa ratione, quod, si vera esset Joberrii sententia, imago in argento infero debuisset ex omni sui parte reddi anticæ simillima; jam debuisset etiam *ora* nummi postica roto sui ambitu, ornatuque simillima esse oræ nummi anticæ. Atqui nummus II., *tab.*1., a te editus habet oram posticæ omnino dissimillimam anticæ: nam anticæ ora est hujusmodi , talis vero ora posticæ . Ergo non eadem nummi superioris imago malleatoris celeritate reddita est in argento infero, sed duo convenere exempla ad nummum effotmandum diversa prorsus, atque inter sese opposita, cavum unum, alterum prominens, ut a me principio fuerat asserrum.

Ora etiam posticæ in 1. edito à te num-

mo, *tab.* 1., differt hoc modo ab antica , quæ sic effingitur ; sicuti etiam diversimode elaboratæ sunt in nummo meo anticæ, posticæque otæ, ut ex tete poteris deprehendere.

Quibus adde patens discrimen aliud, quod ex laudatis duobus tuis primis nummis emergit; nam, licet non inveniatur in characterum loco dissimilitudo, ut in meo nummo contigit, (quod hic tamen per ea, quæ dixi modo, moxque dicam, non officit), nihilominus talia sese produnt, ultra nummi oram, indicia, atque argumenta, ut mire sententiam meam, & ad evidentiam usque confirment; nam figura *primi* nummi tui antica caput erga cælum, quo suspicit, paullo elevat, itemque caput diademate, seu fascia redimitum habet; contra, in ejusdem nummi figura postica fascia illa deest, caput vero non paullo elevatum, sed magis rectum habet, quale non suspiciendo, sed aspiciendo tenere mos est. Simili modo figura *secundi* nummi tui antica carbaso terga operiens, pectus nudum, liberumque exhibet: contra ejusdem nummi figura postica carbaso pectus, quantum est, totum amicit, terga nuda relinquens.

Ad

Præterea, Mazochius ipse ad Tabulas Heracleenses, *edit. Neap.* MDCCLIV., in Collectaneo VI. de Caulonia urbe antiquissima, *pag.* 528. *Habeo*, inquit, *præ ceteris in meis thecis argenteum nummum maximi moduli ex una parte impressum, ex altera cavum, & cassum literis tyrrhenicæ indolis exaratum*, cum inscriptione KAVΛ. Porro in antica ejusmodi nummi parte effingitur homo, fulmina, ut ea adfirmat Mazochius, manu sinistra perstringens, brachio vero dexteto statuam parvam sustinet, gerit in capite mitram depressam pileoli ad instar, a qua duæ vittæ dependent, & pone habet cervam.

At vero, ultra quod ora anticæ diversa omnino est a postica, quæ est hujusmodi [illegible], talis autem antica [illegible]; desunt in sinistra figuræ posticæ fulmina, deest in capite mitra, deest in brachio dextero parva statua, deest ipsa antica inscriptio καυλ, & super caput cervæ videntur potius esse characteres aliqui quasi hebraici (1). Ut proinde & a

(1) Mazochius, *Collect.* VI. *de Caul. Urb. num.* XXVIII. *pag.* 528., in hoc nummo Cauloniatarum fere miraculum videt: *Ac sane*, inquit, *non caret res ista miraculo, quod in hoc Cauloniatarum nummo totus ille suprascriptus Psalmi versiculus* (Psal. 28., Heb. 29. *vox Domini præparantis cervos*)

& a tuis, & a Mazochii nummis conftabilitam habeam fententiam de duobus exemplis, cavo uno, altero prominente, quibus ejufmodi nummi fignati fuerunt.

Quamvis Mazochio non affentior, qui characteres illos KAVA facit tyrrhenicæ indolis, nam harum literarum omnium forma ipfiffima habetur in antiquiffima, quotquot funt, infcriptione græca Sigæa, de qua inferius, & clare etiam legitur in græcis nummis apud Goltzium KAVAONIA. Contra autem, characteres tyrrhenici nec hodiedum conftat, ad quam linguam vere pertineant. Maffeius *hebraicam* originem in eis agnofcit, *tom. 5. & 6. dell'Offerv. Letter.*, Gorius græcam, *lib. 3. dell. dif. dell'etrufc. Alf.*, fequutus in hoc

vox) partim legitur, partim ad vivum exhibetur. Verficulus, ut dixi, hebraice fic habet vox iovae obftetricat cervos. *Atqui in pictura numifmatis tantundem, ne fillaba minus eft. Nam* ΚΑVΑ *quod legitur, idem quod* VOX. *Deinde* IOVAE (*i.e. veri Dei nomen*) *per Jovis jaculatoris figuram expreffferunt. Postremo illud* obftetricat cervas *per cervam retro refpicientem defignatur, quæ concuffa tonitruis retro fe vertens, uters verminationibus fefe angi fignificat &c.* Contra, Thomas Aceti in Annot. ad Gab. Barrium de fitu Calab., *lib. 3. c. 4 num. 2. pag.* 250. *edit. Rom.* MDCCXXXVII. hæc habet. *Signabant Cauloniatæ in numo cervum cum vafe, & ex altera facie Crefum Cauloniatam manu olivæ ramum habentem, qui cum cervum ... in fluvium cadens, fuffocatus eft, infcriptione græca* ΚΑVΛΟΝΙΑΤΟΝ.

hoc Borguetium, ac Bonarotium; denique hodierna tertia sententia, apud Riccobaldum, *Ragion. 1. dell. Diss. Istorico-etrusc.*, edit. Flor. MDCCLVIII., *latinam*. Ut vetustiores opiniones de ejus origine *syriaca*, sive *aramæa*, Scaligeri, in Conjectan. ad Varr. de L. L., *mixta cum hebraica*, *assyria*, *& chaldæa*, Sigismundi Totii, in hist. Etrur. *MS.* in Bibl. Chisiana, Jacobi Martini Hebræi, in ep. nunc. ad Paullum III. P.M. præfixa Paraphrasi Averrois in Remp. Platonis, *tom. 2. Op. Arist. edit. Junctar. fol.* 174., & reliquorum modo prætercam: nam de hac te universim, alias; & silentio obvolvam Tabulas Eugubinas, de quibus post Bernardini Baldi, Cosimi della Rena, Giambullarii, aliorumque hominum eruditissimorum labores, pendet adhuc sub judice lis, anne ad etruscam, vel potius ad aliam nationem pertineant (1): unde, quasi divinans de hisce

(1) De tabulis hisce opus absolutissimum spoponderat Marcellus Franciarinus Iguvinus in epistolis ad Amicum Romæ, quæ autographæ apud me sunt, ad quem ei' m operis ideam transmisit, veruntamen, anne adhuc pe-fectum sit, me latet. En Franciarini verba, *epist.* XVIII. *Kal. Jan.* MDCCXXXVIII. *Credo, che V. S. Illma sentirà volentieri, che le nostre Tavole Eugubine impresse in bronzo con linguaggio affatto perduto muovono sempre più la curiosità degli Eruditi in volere intenderne qualche cosa. Nel passa-*

hisce characteribus in lapidibus, metallis, ac ceteris monimentis insculpris pronunciasse videtur Leo Albertus, *de re ædif. lib.* 8. *c.*3., *quid moneant, intelligit nemo*, & Barrius Francicanus, qui *ad fin. lib.*1. *pro lingua lat.*, *pag.*131. *edit.* MDLXXI. *in ædib. Pop. Rom.*, *Repertæ*, inquit, *sunt in Tuscia tabulæ aliquot aneæ, reperiuntur & numi, in quibus tuscæ literæ incisæ sunt, quæ scriptura, quia eorum lingua simul cum literis obsolevit, periitque, intelligi nequaquam potest.*

Postremo, quod attinet ad meam sententiam, præter argumenta ex meo, tuisque, ac Mazochii nummis deprompta, quatuor insuper ex totidem monimentis juvat hic loci addere, quorum tria servat in privato suo pretioso

passato mese di Ottobre fin da Verona sua Patria si portò qui il famoso Sig. Marchese Scipion Maffei, che ebbe tutto il commodo di vederle, considerarle, e farvi uno studio di più giorni. Ha egli stimata verissima la loro antichità, lodata molto questa Patria per averle conservate tanti secoli, e riconosciuta per correttissima la stampa di esse fatta nell' Etruria reale del Demstero, con la quale lo ha tutte collazionato parola per parola con una infinita pazienza. Toccò a me la fortuna di essere uno de i quattro eletti dal Pubblico a servirlo, & ebbi tutto il commodo di parteciparg]i i miei lunghi studj intorno a queste tavole: avendo il medesimo specialmente approvato quella parte, che riguarda la Raccolta di quanto mai anno scritto gli Autori intorno a queste tavole Eugubine, ed animatomi a continovarla &c.

tioso numophylacio longa mihi familiaritate conjunctus Vir Clarissimus Simeon Ballerinius Barberinæ Bibliothecæ Præfectus, in quo certant magna eruditio, & summa humanitas; ut enim aliis, ita mihi horum unum hactenus non editum, mox reserendum, benignissime facultatem exscribendi, atque evulgandi fecit.

Initio autem ab eo, tamquam a digniore, ducto, primum monimentum est nummus Pontificius quadratus, in cujus postica parte nihil insculpitur, non figura, non literæ, nec aliud quidvis, at lævigatum, dolatumque est totum; in antica autem leguntur hæc verba *Sancti Petri* literis non quidem prominentibus, sed intus cusis: nummi vero forma, & characteres hujusmodi sunt



Nunc jam, ideo Johertius contendit, hujusmodi cavitates ex malleatoris celeritate contigisse, quia in nummis ejusmodi ex una imago prominet, ex altera vero parte eadem est cava; ait enim, (ut clarius, expressiusque dictum, quod sæpius est, repetatur), ce-
le-

leritatem in caussa malleatori suisse, ut laminam subinferret antea, quam ex superiore matre nummum jam cusum educeret. Lamina ergo, quæ imaginem prominentem nummi ex matre non educti ex una parte invenit, ex ista est facta cava; ex altera vero parte facta est prominens, quod ab exemplo, seu matre cava urgeretur: hæc Jobertius, sive ex Alzotio Jobertius ipse. Atqui in nummo isto Pontificio ex una parte nihil est, ex altera vero literæ incusæ, eæque non contusæ, sed affabre, & perquamdiligentissime elaboratæ. Non itaque malleatoris celeritas, sed exemplum prominens illas efformavit: alias nummus in postica aut figuras, aut literas prominentes haberet, ut quisque intelligit, sed nihil tale.

Hoc est primum monimentum, de cujus tamen præstantia aliquid præfari est opus, prinsquam veniam ad secundum. Principio, quod iste revera, licet quadratus, nummus sit pontificius, ex forma rejici non potest: nam hoc hodie est in confesso. Quadratorum enim nummorum, ut Cujacius, Gothofredus, & Scaliger, *de re num.*, *Thes. Ant. Gron. tom. 9. c l 1597.*, assentiuntur, meminit Justinianus, *Novell. Consulatus cv.*, *Authentic. de Consul.*, *tit.* III.

lit. III. Praeterea apud eumdem Ballerinium extat nummus quadratus Gregorii II., aut saltem III., quem, & assertum vide, *lib.* 3. *p.* 166., apud alterum mihi pariter amicitia veteri junctum Virum, Auctorem operis eruditione summa referti, & prae modestia anonymi, quod in ipso adolescentiae flore inscripsit: *Delle Osservazioni sopra un libro intitolato Dell' origine, e del Commercio della Moneta, e dell' Istituzione delle Zecche d'Italia &c. lib.* III., *edit. Rom.* MDCCLII. Novissimo loco, quadratus etiam est nummus Zacchariae Papae, quem in Museo Comitis Mediobarbi vidit Mediolani omnium primus Mabillonius, *Iter Ital. to.* 1. *pag.* 18. *n.* VI., *edit. Lutec. Paris. an.* MDCLXXXVII.; cujus persimilis, (duplici tamen cc in nomine Zaccharie), refertur, & asseritur ab eodem Auctore *Delle Osservazioni &c.* modo laudato, *p.* 178., & quem etiam *riconoscono*, verba sunt Comitis Jacobi Acami, in praeclara *Dissert. dell' Origin., ed Antichità dell. Zecc. Pontif., pag.* IX. *edit. Rom.* MDCCLII., *per legitimo di quel Sommo Pontefice M. Fontanini*, (Difes. II. pag. 72.), *e 'l Signor Canonico Garampi*, in praeclara item *Dissert. de Num. argent. Benedicti III., cap.* IV. *n.* III. *pag.* 87.

Nummi autem veritate asserta, dico, hoc

esse monimentum valde insigne ad probandum Dominium Summorum Pontiff. temporaneum. Nam, illo attente perlustrato, mecumque animo, & cogitatione pervolutato, deprehendi, nummum isthunc esse nequaquam posse de genere illorum, qui ab Ina Angliæ rege instituti Ecclesiæ Rom. in tributum offerri consueverunt, appellatique vulgo sunt *Denarii S. Petri*. Nam & denarios ejusmodi ex Andrea Fontainio profert, *Diss. 27. to. 2. Antiqu. Med. Æv., Mediol.* MDCCXXXIX., asseritque, *p.* 554., Muratorius ipse in hæc verba: *Sancti Petri moneta diserte nummi illi appellantur: quæ verba vix aliter explicare possis, quam tributum Ecclesiæ Romanæ pendendum, & quod reapse olim eidem Ecclesiæ pendebatur*; & nihil commune, si Petri Sancti nomen excipias, cum meo habent. Discrimen affero.

I. Nummus meus æreus est, anglicani vero omnes argentei. II. nummus meus quadratus est, omnes contra anglicani a Muratorio relati, septem numero, rotundi sunt. III. nummus meus in antica literis tantum signatus est, nihil in postica. Contra, præfati nummi anglicani in utraque parte signati sunt in area, cultro, cruce, torque, ut mihi videtur, aliisque signis, & in utraque parte sunt inscripti, adi-

diturque EBORAC. CIV., vel CI., si primus & secundus excipiantur, qui sunt per Fontainium, & Muratorium dubiæ lectionis: (quamvis, ut mihi videtur, est quidem, sed non adeo dubia). IIII., quod caput est, memorati anglicani denarii non inscribuntur simpliciter, & nude, ut meus, SCI. PETRI., sed cum ista additione MO., h. e. *S. Petri moneta*: Muratorius, *loc. cit.*, *Primum nummum*, inquit, *hæ literæ exornant* SCI PETRI MO*neta*. *In secundo par inscriptio, &c.* Sed par est etiam inscriptio in quinque reliquis, veluti illos cum primo conferenti ad oculum patet: ac id propterea meus nummus Anglicanis, qui hodie noti sunt, accenseri nullo modo debet.

Quum igitur meus nummus non sit anglicanus, sed tantum Pontificius, dico rursus, quod nummus iste Dominio Summorum Pontificum temporaneo multum affert & auctoritatis, & splendoris. Nam, vel præcedit nummus iste vetustissimos, quos hodie Pontificum habemus, vel subsequitur: hoc negare potest nemo. Si præcedit, jam præsto est monimentum, quo evincitur, ante Gregorium II., vel saltem III., Pontifices jus cudendi nummos habuisse, & sane quin ab Augustis, quorum nomen minime apparet in nummo, dependerent.

 Sin

Sin autem nummus meus illos Gregorii II., aut III., ac Zachariæ subsequatur; certe plus uno seculo circiter, ut mox probabitur, non subsequitur; ac proinde ex isto nummo, ultra probationes, & monimenta a nostris Scriptoribus, peculiariter a novissimis, quorum nonnullos commemoravi, adducta, demonstratur potissimum, quod scilicet, quo tempore Pontifices illorum nomen signabant in nummis, Ecclesiæ defensores honore tantum afficiebant: nam, eo prætermisso, etiam cudebant nummos; unde corruit id totum, quod contra adfirmat Muratorius, *laud. Dissert.* 27. *pag.* 548.

Porro argumenta, quæ mihi suaderent, nummum illum præcessisse nummos Gregorii, & Zachariæ sunt I. forma quadrata, quæ a Justiniano, ut superius, memoratur, & in vetustissimis Pontificum, quos habemus, nummis reperitur. II. typus ipse nudus, & simplicissimus. Licet enim Gregorii prædicti, & Zachariæ nummi sint quadrati; nihilominus horum Pontificum nomen includitur circulo punctis efformato in area ejusdem nummi. Nam constat, principia omnium rerum simplicissima fuisse perpetuo, etiam rei nummariæ. Ita Romani primo gravi ære, i. e. nummo rudi, & informi usi sunt, postea ære signato nota pecudum,

cudum, quod fuit sub sexto demum Rege. Deinde argento signato, quod contigit v. annis ante I. bellum Punicum, usquedum ad fastigium res est evecta. III., quod in eamdem simplicitatem recidit, quia neque ipsius Pontificis nomen inscriptum est.

Argumentum vero, quod suaderet, nummum isthunc subsequutum fuisse illos Gregorii, & Zachariæ, non tamen plus uno seculo circ., est forma characterum, qui in meo nummo exsculpti sunt; nam formam illam S.T.R.P.Ti. tantum invenire potui in specimine Sacramentarii Bibliothecæ Harlæi scripto anno Christi DCCCLX., apud Mabillonium *de re diplom.lib.5. tab.XI.*, & formam S. in specimine Synodi Pistensis, scripto anno DCCCLXIV., apud eumdem, *loc.cit.*, *tab.*LVII. Hæc, interim, de veritate, & præstantia hujus tam eximii nummi, de quo, Deo bene juvante, dabo alias peculiare Commentarium. Venio ad monimentum pro mea sententia constabilienda secundum.

Secundum monimentum, quod pariter apud eumdem Ballerinium exstat, & refertur à Ficoronio, *pag.75.*, *Mem.del Labic.*, *edit Rom.* MDCCXLV., est numisma quoddam æreum, ut ita illud nominem; nam in superiore parte figura circularis abrumpitur, & effingitur alia minor

 semi-

semicircularis, in cujus medio foramen parvum aspicitur, quod argumenro esse poreft, catenula, vel simili ad collum appendi consuevisse. Numisma ex una parte repræsentat Hecatem triformem, tres videlicet Dianæ figuras tergis obversis junctas, & præ manibus habentes faces, cultrum, flagellum, qualis est illa æreæ, quæ munificentia Benedicti XIV. mem. æternæ ex Museo Chisiano in Capitolinum translata est. Differt tantum, quod capitolinæ figuræ una habet radios in capite, altera laureata est, alteta vario illustris ornatu unionibus intertexto, insuper in manibus abruptum serpentem gestant, & clavem antiquæ formæ; Balleriniana vero haber in capite *una specie di torre*, inquit Ficoronius, *loc. cit. pag. 76.*, sed, ut mihi videtur, amphoram, vel porius modium, de quibus Budæus, *de ass.*, præterea additur circa modium ramusculum, lauri, ut viderur. Pone canis, ut in illa Segumi, apud Chausseum, *Mus. Rom. sect. 20.*, non adest, sed hinc inde serpentes duo sese invicem capitibus paullum inclinaris aspicientes quasi duabus litteris S obversis. In altera parte exprimitur ædicula, cujus frons triangularis non est, uti fere omnes antiquæ, sed convexa, aut curva, columnæ vero sunt spirales, & capitula ordinis co-

rin-

rinthii. In medio stat Hercules clavam dextera (videntibus in archerypo Balleriniano, quia cavo, sinistra in ectypo apud Ficoronium, & sic de alia), leonis Nemæi pellem sinistra gerens. Ante ædiculam prostat ara, non circularis, ut visa est Ficoronio, sed quadrata, in cujus medio ignis figuræ conicæ.

Porro, quum hoc monimentum tam in antica, quam in postica parte sit incuscusum, & quidem tam belle, ut minime dici possit confusum, sententiam meam mirum in m dum constabilit; nam, si celeritate malleatoris contendit Jobertius, cavitatem ex una parte in memoratis nummis contigisse; jam lapis, ac stipes æthyops fuerit oporter malleator iste, qui numisma Ballerinianum cudit; nam ita mente excessit actu in illo, ut nedum unum nummum ex una matre non eduxerit, sed etiam, quasi Amyntorides, neque alterum. Dicendum itaque, quod, sicuti nummos ex una parte cavos efficit exemplum prominens, ut usquedum demonstravi, ita numisma hoc utrinque cavum duo efformaverint prominentia exempla.

Tertium monimentum, est rarissimum antiquitatis frustulum, quod ex Mutinensi Museo in suum intulit Apostolus Zeno, quodque in nummis Ravennatibus, *cit. Diss. 27. Ant.*

 Med.

Med. Æv., refert Muratorius, licet ab eo in hoc dissentior, quod inter tesseras, aut donaria publica illud accenseat, quum revera sit nummus quadratus, de quorum genere, superius. Lubet autem, Muratorianam descriptionem meæ præferre: sic ille, *pag*. 577. - *nummum æreum*, *&c. quadrangularis formæ*, *non minoris crassitudinis*, *quam numisma majoris moduli*. *In altera facie leguntur literæ istæ DN. THEODORIC*. *In altera una tantum litera visitur*, *sed exesa*, *formam T. referens*, *quæ fortassis est initialis nominis Theodorici*, *& corona laurea*, *seu quercea circumdatur*. Duplex *heic* rarum *occurrit*. *Alterum*, *quod in exteriori limbo nummi* [*italice* nel contorno] *literæ istæ leguntur* CATULINUS V. C. ET I.... L.... P. F.V. Alterum, *quod tum ipsius* Theodorici, *tum* Carulini *nomina literis constant* in ære cavatis, *atque argento oppletis*, *&c*.

Itaque, totus nummus prominens est, & solum, quoniam nil reliquum simile de eo refert Muratorius, habet literas cavatas, quæ postea argento oppletæ sunt. Igitur prominet in antica parte *figura* alia *quadrata*, in qua scriptum est nomen Theodorici, ut præteram litteram T., de qua Muratorius non significavit, anne etiam illa cava fuerit. Quæ-

Quæro autem, potuit ne malleator celeritate sua efficere, ut in eadem nummi parte quadratum illud promineret, literæ vero essent cavatæ? minime gentium. Nam, litteræ cavatæ debuissent in Jobertii sententia exprimi a literis prominentibus cusis jam in superiore nummo ex matre non excito; atqui prominet hic quadratum, quod, per Jobertium, cavum etiam esse deberet. Itaque superior nummus ex matre non eductus cavitatem illam reddere nequaquam potuit; & facto est opus, ut dicatur, unum, & idem exemplum in figura quadrati *cavum*, in literis vero *prominens* fuisse: nam literæ expressæ sunt cavæ, prominens autem quadratum.

Quod, si dicat quis, exemplum, sive matrem hujusce nummi factam fuisse tantummodo cavam in quadrato, & lævam, dolatamque affabre in tota area, in qua postea viriculo, aut cælo literarum cavam formam, argento demum opplendam, insculpserit peritus artifex; contra, ajo id minime contigisse. 1. quia, si minore labore idem exemplum partim cavum, partim prominens efformatum literas cavas, & quadratum prominens reddere poterat commodissime; non est, cur dicatur, adeo bardos fuisse artifices, ut majore utilitate postposita, minorem,

rem, quæ sibi temporis, atque operis plus vindicabat, fuerint amplexi. II., quia, si viriculo, aut cælo eæ literæ insculptæ fuissent, & debuissent esse profundius excavatæ, & summæ literarum, (quod etiam dicito de quibusvis figuris) oræ debuissent apparere quasi acutæ, ac vividiores, lingua patria clarius exprimam, *l'estremità, e le coste delle lettere, figure &c.*; observavi enim, quod forma ejusmodi cavitatum, quæ in exemplis assuetis, *ne i conj*, pro nummis prominentibus quotidie efformandis fieri assolet, talis est.

Certe, præ manibus non habui monimentum istud Muratorianum. Sed, bene est, habui alia, nummum meum videlicet, & Ballerinianos, ex quibus optime deprehendi, *cavitatem* horum nummorum intus cusorum esse *media parte* minorem cavitate exemplorum, quæ pro nummis quotidianis efficiuntur; & *summas* literarum, & figurarum *oras*, ut superius, non esse adeo vividas, & fere acutas *quasi taglienti*, ut in eisdem, quæ memoravi, exemplis quotidianis: sed hæc clarius ex insequenti.

Denique, rem conficit IV. monimentum, quod etiam apud laudatum Ballerinium exstat. Est autem nummus argenteus Consularis, sive familiarum, duplo fere major, & ponderosior, quam

quam denarii vulgares esse solent. In antica parte redditur Janus bifrons, imberbis, laureatus. In postica Jupiter quadriga vectus, fulmen dextera, sinistra vero sceptrum oblongum perstringens, & pone adest victoriola, aut genius alatus. Inferius tæniola quadrilonga paullo elevata a superficie areæ nummi, in qua hæ literæ inscribuntur ROMA. Totum rei quidquid in antica, & postica insculpitur, Janus, Jupiter cum reliquis figuris modo expressis, prominet, literæ tantum intus cusæ sunt. De illo, quoniam persimilem refert, *tab.*II., hæc habet Morellius, *in Thesaur.*, *pag.*464. *edit. Amstelod.* MDCCXXXIV., *notandum venit .... literas ROMA, quæ sub quadrigis scribuntur, non exstantes, ut vulgo solet, signari, sed ita, ut sigilli in morem ipsi nummo sint insculptæ, exstantes vero fuerint in matrice. Illud in duobus tantum nummis Consularibus, sive Familiarum observare mihi licuit, videlicet in hoc, & nummo illo, quem Titiæ genti adsignavimus, sup. Tab.* I. *num.*VI. *Sed ibi literæ D. S. S. in omnibus denariis excavatæ tantum, & intus pressæ inveniuntur, reliquæ TI. Q. in omnibus, sicuti semper observantur literæ, exstantes sunt.*

Quid, Magnoni mi, ad hæc diceret Jober-

betrius? Literæ ROMA, ut in Balletiniano nummo observavi, summas oras nec quasi acutas, ac vividas habent, ut exempla quotidiana nummorum; & dimidia parte minus excavatæ sunt, quam memorata quatidiana exempla cava esse solent. Deinde, Morellius ipse sententiæ meæ adhæret, quum dicit, quod literæ, quæ hasce *Roma* cavas reddiderunt, fuere EXTANTES *in matrice*. Excludit ergo Morellius etiam, illas, post nummum cusum, viriculo, aut cælo exsculptas fuisse. Hæc præfatus, institub argumentationem.

Literæ illæ *Roma* neque potuerunt reddi cavæ a viriculo, vel cælo, ut modo probatum est, neque a superiore nummo celeritate malleatotis ex matre non educto, quia nummus totus, nedum literæ, cavus fuisset expressus. Reliquum est igitur, ut dicatur, exemplum hujusce nummi partim cavum, partim prominens fuisse: enimvero aliud non est effugium. Ergo *cavitates* hujusmodi exemplum efficit prominens, sicuti cælaturam prominentem facit exemplum cavum, ut ab anno usque MDCCLXII. primus asserueram, & multo quidem magis nunc tum ex nummis ex toto in una parte cavis, & in altera prominentibus; tum ex nummis ex una tantum parte cavis, & in altera cassis, ac pet-

perfectè lævigatis; tum ex nummis in postica, & antica utrinque cavis; tum denique ex nummis in ipsa eadem area partim cavis, partim prominentibus evici, & quidem, nisi mea me opinio, aut fallit sui amor, ad evidentiam: adeout existimem, qui de hac sententia jure mihi succensere aliquando possit, fore neminem. Luculentius autem in ea asserenda sum versatus, nam de hoc argumenti genere, quod sciam, quidam nonnisi obiter, nullus autem serio scripsit.

Sed iterum ad Dissertationem tuam, Eruditissime Magnoni mi, redeat oratio. Viden, ut, præter modo adducta monimenta, ex lucubratione tua, tuisque nummis quidquid a me in Commentatiolo prolatum, assertumque est, splendescat, & accipiat robur? Quamquam duo restant adhuc, superioribus haud minora, emolumenta Commentariolo ab Dissertatione adjecta.

Primum, quod, explicata utraque nummi parte, ac sententia de ejusdem cavitate prolata, quæsivi, *Comm. pag.* xxvIII., cur iterum figura eadem signare nummum, qui in antica, & postica Neptunum exhibet, placuerit mallearori, atque artifici? id enim, non sine caussa, videbatur mihi esse factum. Quumque Cat-

tullus, Peninsulam *Sirmionem* commendans, utriusque Neptuni mentionem faciat, *Comm. pag.* xxix.

Marique vasto fert uterque Neptunus; cum Adriano Turnebo, ac M. A. Mureto, qui Catulli locum sedulo discusserant, dixi, *utroque Neptuno*, superum, inferumque mare, quibus insulae modo Italia cingitur, etiam significari: eamque fuisse malleatori caussam Neptunum repetendi in postica, quem insculpserat in antica.

Atenim duo primi tui, *tab.* 1., nummi tam Neptunum in antica, quam in postica, & sane utrobique eadem figuratione, ut in meo contigit, signatos habent. Quid, Magnoni mi, si tui nummi sententiam quoque de supero, inferoque mari confirment? Ades jam, paucis rem conficio. Secundi, *tab.* 1., nummi epigraphe est hujusmodi ΓΟΣΕΣ ποις; quaero autem nunc, qua ratione characteres hosce perlegeres? non alia certe, quam sua, ac vera, id est vel ποσειδᾶνες *dorice*, vel ποσειδάωνες, ut Homerus, *Iliad.* α. ℣. 400., μ. ℣. 17. 34. &c., *Odyss.* γ. ℣. 55., ϑ. ℣. 350. &c., vel ποσειδῶνες, ut communiter. Nam, si monosyllaba ΠΟΣ perlegi debet ποσειδαν, vel ποσειδων, *Neptunus*, ut demonstrare jam sum conatus,

Com.

Com. pag. xix., & confirmant tui, *tab.*1., sex primi nummi; profecto dimidiata disyllaba ποσ perlegenda est ποσειδάονος, aut etiam contracte ποσειδῶνος, h. e. Neptuni, scilicet *uterque Neptunus*. Contra enim oggeret nemo, in dimidiata illa dyssillaba legi posse nomen adjectivum Populi, h. e. Posidoniorum, non autem substantivum Neptuni; nam Posidoniatæ, sive Posidonii, aut Neptunii adjective enunciantur ποσειδώνιαι, vel ποσειδιεῖς, numquam vero substantive ποσειδᾶνος, vel ποσειδῶνος.

Alterum denique illud est, quod, *pag.* xxxi. ejusdem *Comm.*, aliquid, ut par erat, de loco, in quo cusus videri posset meus nummus, obiter tamen, subjiciens, dixi, illum fuisse *Posidoniam*, & quidem vel urbem, ut Strabo, vel oppidum, ut Plinius eam vocat, ac, *dicta pag.*, subtexui: *Est autem Posidonia oppidum maritimum in Lucania a Sybaritis conditum*, quod postea *nuncupatum est* Pæstum, *ut Auctor Strabo* lib.5., *hodie* Pesti, *sive* Piesti; quo loci *conditam* a Sybaritis Posidoniam intelligo eo sensu, quo Strabo indicat, ad cujus auctoritatem refero me, & prout usus est etiam verbo *condere* Paullus Merula, *Cosmogr. lib.*4. *c.*26. *pag.*1158. *edit.Plant.* mdcv.: *Strabo* conditam *ποσειδωνίαν tradit in litore a Sybaritis &c.*

De

De hac autem novissima assertione quid verbis opus est? Tota tua Dissertatio contra doctissimum, itemque eruditissimum, verbo, ut vere illum vocitas, contra τὸ πάνυ Mazochium illud probat, & ad evidentiam usque commonstrat, eam urbem, non antea *Pæstum*, sed primo *Posidoniam*, postea vero *Pæstum* nominatam fuisse.

Quæ, quum ita sint, deberem nunc vicem reddere, tuamque, meam etiam, immo nostram confirmare sententiam. Veruntamen tam luculenter a te, ac nervose rationibus ex topographia, ex vera hermeneutice, ac ex vetustissimis nummis, monimentisque petitis asserta est, ut nil ultra probationem admittat. Deinde, severiora studia, quibus ex instituto addicor, geniales musas non, nisi raptim, horisque subsecivis, mihi sinunt ut colam. Nihilominus adnectam animadversiones quasdam lectione operis Mazochiani mihi subortas, quas tu, Magnoni mi eruditissime, munusculum veluti levidense, crasso filo, ut cum Cicerone loquar, accipies, atque ut a veri inquisitionis amore, non quidem ab animo pugnandi cum tanto viro, ac tam verendo sene profectas: perbelle Homerus *Odyss.* Θ. ℣. 223.

'Αρ-

Ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω,
Οὔθ᾽ Ἡρακλῆϊ οὔτ᾽ Εὐρύτῳ Οἰχαλιῆϊ

Cum majoribus haud subeam certamina, vel cum Herculea virtute, vel Eurito Oechalensi.

Itaque præstantissimus ille vir Mazochius in præclaro opere ad Tabulas Heracleenses, edito, decem ab hinc annis, Neapoli, in Collectaneo de Pæsti originibus suam profert sententiam, dicens, eam urbem, *Posidoniam*, vocatam fuisse primo Pæstum, deinde a Sybaritis Posidoniam, tertio denique restitutum fuisse Pæsti nomen a Romanis, quum Lucanis devictis, eam Coloniam deduxerunt. Tu, Magnoni Clarissime, quidquid rationum prolatum a Mazochio est, disiecisti, protrivisti. Atenim vero systema quoddam Mazochius efformavit, jecirque aliqua fundamenta, quibus positis, auctores ipsi, quorum verba sunt manifestissima, Herodotum, Scymnum Chium, ac Strabonem intelligo, systemati illi inservire, vellent, nollent, debuere. Tu illorum textus ad germanum sensum restituisti, ego vero systema nonnibil moror.

En Systema.

I. asserit Mazochius, ante omnes, primos Italiæ colonos fuisse *Tyrrhenos*; quo autem fine id afferat, clare explicat, *Diatrib. de Pæst. orig.*

c. 1. : *Si quæras quosnam hos incolas priores illinc exturbatos intelligat*, (Strabo), *non aliud licebit reponere, quam fuisse primitivos illos Pæsti conditores* Phœnices, (quos indicat Solinus), h. e. Tyrrhenos, *quippe maris tyrrheni accolas, quod* CERTE *non alia de caussa Tyrrhenum vocabatur, quam quia* ANTE *Græcorum eo allatas Colonias a Tuscis, sive Tyrrhenis* totum accolebatur.

Bona verba, quæso. Non latet me, quæstionem de primis Italiæ colonis, multis, iisque non levibus, intertextam esse difficultatibus, quæ magnorum Virorum Ugonii, Richii, Maffei, Gorii, aliorumque ingenia exercuerunt. Atenim vero in tanta rerum antiquitate, atque obscuritate, nisi partium studio volumus prævenin, ac ferri, ad duo, invicta prorsus, confugiendum esse mihi videtur, scilicet ad monimenta, quæ oculis cernimus, ac sensibus patent, & ad Scriptores, quantum habere possumus, vetustissimos. Utraque autem a Mazochii parte minime stare deprehenduntur. Etenim, si monimenta inspicias, dices profecto, non phœniciam, sed aliam Tyrrhenos non habuisse originem, quam *Ægyptiam*. Genus armorum, ac vestium, habitus ipse corporis, (cum schola loquor), figurarum, ratio assidendi in conviviis, sacri-

sacrificiorum ritus, ac sphynges, & hieroglyphica in urnis, ac vasis, ceterisque id genus, insculpta ad oculum id commonstrant, ut sæpe in fictilibus vasis etruscis, quæ in Bibliotheca Vaticana sunt, deprehendere volupe mihi fuit, & observavit etiam Bonarotius, §. 28. & 47. *dell. Giunt. al Demst.*

Scriptores quoque Mazochio adversantur. Antiquissimos profero, videlicet *Antiochum Syracusanum* Xenophanis filium, *scriptorem*, ut illum cum Dionysio vocat Fabricius, *Bibl. Græc. edit. Hamburg.* MDCCIX. *pag.* 266. πάνυ ἀρχαῖον, *ac Timæo antiquiorem, qui rerum siculiarum historiam libris* IX. *a Cocalo ad Olympiadem* LXXXIX., & σύγγραμμα περὶ Ἰταλίας *composuit*;, & *Phærecidem Atheniensem*, quem in scribendis Genealogiis nulli secundum appellat Halicarnassensis, *lib.* I. *antiqu. in princ.*, τῶν ἀρχαίων γενεαλόγων οὐδενὸς δεύτερον, aliosque vetustissimos, quorum testimonio usi sunt ipse Dionysius, ac Strabo.

Audiantur jam præcipui. Strabo, *lib.* 6. *Geogr. pag.* 390. *edit. Amstelod.* MDCCVII., φησὶ δ' Ἀντίοχος ἐν τῷ περὶ τῆς Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν, πρότερον δ' Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι. Antiochus in opere, quod de Italia conscripsit,

hanc regionem ait, Italiam appellatam fuisse, ac de ea se scribere; prius autem dictam fuisse oenotriam: ad quæ verba Casaubonus in notis, *pag. ead.*: *Videtur titulus hujus libri fuisse* ἰταλίας οἰκισμὸς. *Ita enim laudatur a Dionysio. Etsi autem liber ille Antiochi periit, tamen illum ipsum locum, quem citat Strabo, reperimus apud Dionysium.* Dionysius Halicarnasseus, *A. R. lib. I. pag.* 10. *edit. Oxoniens. an.* MDCCIV.: ἀντίοχος δὲ ὁ συρακούσιος, συγγραφεὺς πάνυ ἀρχαῖος, ἐν ἰταλίας οἰκισμῷ τοὺς παλαιοτάτους οἰκήτορας διεξιὼν, ὡς ἕκαστοί τι μέρος αὐτῆς κατεῖχον, οἰνώτρους λέγει πρώτους μνημονευομένους ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι; εἰπὼν ὧδε: Antiochus autem Syracusanus, antiquissimus historicus, ubi de Italia condita agit, veteres colonos recensens, & quam ejus partem singuli occuparint, ait, Oenotros primos post hominum memoriam in ea habitasse: sic autem ille: ἀντίοχος ξενοφανέος τάδε συνέγραψε περὶ ἰταλίας ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιστότατα, καὶ σαφέστατα· τὴν γῆν ταύτην ἥτις νῦν ἰταλία καλεῖται τὸ παλαιὸν εἶχον οἰνωτροί: quæ verba, quoniam aliorum interpretatio non arridet, sic verto: Antiochus Xenophanius hæc fide dignissima, ac manifestissima, (*utpote*) ex vetustissima traditione accepta de Italia scripsit: *hanc terram, quæ nunc Italia vocatur, ab antiquo*

quo possederunt oenotri. Tum Dionysius hoc ipsum confirmat testimonio *Pherecidis*, de quo superius. Item, *pag. 9. laud. edit.*, clarissime idem Dionysius: ὄνωτρος δὲ, inquit, τὴν πλείω τοῦ στρατοῦ μοῖραν ἄγόμενος, εἰς τὸν ἕτερον ἀφικνεῖται κόλπον, τὸν ἀπὸ τῶν ἑσπερίων μερῶν παρὰ τὴν ἰταλίαν ἀναχεόμενον, ὃς τότε μὲν αὐσόνιος ἀπὸ τῶν προσοικούντων αὐσόνων ἐλέγετο. ἐπεὶ δὲ τυῤῥηνοὶ θαλασσοκράτορες ἐγένοντο, μετέβαλεν ἣν ἔχει νῦν προσηγορίαν. Oenotrus vero cum majore exercitus parte ad alium sinum appulit, ab occidente Italiæ latus alluentem, *qui tunc Ausonius* ab accolis ausonibus dicebatur. Sed *postquam Tyrrheni* imperio maris sunt poriri, *nomen mutavit* in illud, quod nunc retinet.

Nil equidem clarius, nil vetustius adversus Mazochium afferri potest. Hinc vero Theodorus Rychius in præclarissima Dissertatione de primis Italiæ colonis, quæ habetur ad calcem Annotationum Lucæ Holstenii in Stephanum, *edit. Lugd. Bat.* MDCLXXXIV., in Canone Chronico latino, & græco, qui continet annos DCCCC. ante primam Olympiadem, statuit advenrum in Italiam *Ausonum* anno Per. Jul. cIɔ cIɔ cIɔ CXLVI., ante Olymp. DCCXCII., *Pelasgorum* (1),

 ann.

(1) Fuere autem *Pelasgi* & ipsi Græci: ἦσαν δ' οὗτοι, in-

ann. Per. Julian. cIↃ cIↃ cIↃ clxxxvi., ante *Olymp.* dcclii., *Arcadum* ſub Oenotro, *an. per. Jul.* cIↃ cIↃ cIↃ ccviii., ante *Olymp.* dccxx.; *Tyrrhenorum* vero poſt an. *per. Jul.* cIↃ cIↃ cIↃ ccccl., ante *Olymp.* cccclxxxviii.

II. aſſerit Mazochius, *l.cit.c.2.pag.* 500., quod, quum in lingua latina *Pæſti* nominis radices non inveniantur, ſed in phœnicia, & hebraica, Phœnices ex Dora urbe profecti Pœſtum condiderint: atque iccirco erraſſe Salmaſium ad Solinum, qui dixit *Pæſtum* eſſe nomen ex poſidonio græco *corruptum*; nam *Peſitan*, & *Peſtan*, a quo deinde factum dicit *Paeſtum*, ſignificat hebraica lingua *extenſum*, quod mari convenit: hinc Neptuno commodiſſime aptatur.

Non

inquit Strabo, *lib.9. pag.608. laud. edit.*, κ' ὠνομάσθαι φασὶν τὸ τῶν πελάργων ἔθνος ἐπιδημῆσαν · ἢ ὅτι ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν πελαργοὶ προσηγορεύθησαν διὰ τὴν πλάνην. Jam ante autem diximus, videri huc quoque ſuis migrationibus perveniſſe Pelaſgorum gentem, ac fuiſſe ab Atticis *a vagando* Pelaſgos denominatam · ubi *Caſaubonus* · Bene habet, quod locus ille, ad quem nos rejicit Strabo, non intercidit, ex quo facile fuit nobis hunc locum emendare, & pro πελαργοὶ veram lectionem videre, quæ eſt πλανάργοι. h. e. *vagantes Argivi*: quamquam ante Caſaubonum idipſum expreſſerat in notis *ad epiſt.* Sappho, quas Franciſco Aragonio Ferdinandi Regis Neap. F inſcripſit, inter *Heroides*, quæ dicuntur P. Ovidii Naſ. *pag.467. edit Brixien.* mdxxxiii, Domitius Calderinus. *iidem ab Athenienſibus appellati ſunt* πελάργοι ...., *ob aſſiduos errores*.

Non inficior, ex verborum etymo multa Scriptorum intellectui accomoda corrivasse, ut potissimum Samuel Bochartus, quem in hac re sequitur Mazochius, in Geographia sacra commonstrat. Veruntamen id esto, quando cetera, quod minime contingit in specie nostra, respondent: alias, si argumenta ejusmodi ex se valerent, nociva multa, ac perniciosa Reip. literariæ, immo Religioni ipsi obvenire quandoque possent: tantum abest, ut solidissimum, ac certum argumentum ex etymo semper desumi valeat. Exemplum do etymologiæ nominis *Orphei* a Vossio datæ. *Viro docto*, loquitur de Vossio Fabricius, *Bibl. Græc. tom.* 1., *lib.* 1. *cap.* 18. *edit. Hamburg.* MDCCVIII. *pag.* 111., *lib.* 1. *de art. poet. Nat.*, *nomen ipsum totum videtur confictum*, *quod* Arisa *arabibus est* scire, novisse, *unde* Arif, *sive Orpheus* sciens, eruditus, doctus. *Quemadmodum & nullum ait fuisse* Musæum, *sed id nominis effictum a Musa, sive μῶσα*, *quod* a מוסר ars, disciplina. *Quod argumentum si valet, exspectabis ut veniat, qui similiter probet*, nullum fuisse Moysem -: hinc Vossio & dissentit Thomas Burnetus, *c.* 9. *Archæol. Philos.*, cui adjiciuntur Observatores Hallenses, *c.* 6. 29.

Porro, quum longissime petita sit isthæc

derivatio *Pestan*, *extensum*, quæ nedum mari, sed cælo, ac terræ etiam convenit, videtur, aliter fuisse instituendam argumentationem. Nam primo, si Mazochio licuit ex tam longe petito etymo Scriptorum testimonia clarissima pertrahere ad alium sensum; cur ego non potero ex ratione propius deducta negare id, quod Mazochius clare adfirmat, videlicet, non inveniri in lingua latina *Pæsti* radices?

Certum est, *Thurium*, quæ fuit altera Lucaniæ urbs, quum in Pop. Romani potestatem venit, permutasse nomen; iis enim placuit, ob copias illuc immissas, illam appellare *Copiam*, ut etiam observat Thomas de Pinedo in Stephanum de Urbibus, *edit. Amstelod.* MDCLXXVIII., *pag.* 620., *n.* 74.; tuque ipse, Magnoni eruditissime, præter Goltzium, *tab.* II. *n.* X., numum profers *Copia* inscriptum. Ergo similiter, cur dici non potest, quod, devictis a Romanis, proculcarisque Lucanis, qui Posidonia Sybaritas expulerant, uti Strabo, *lib.* 5. post ea verba: *Habitatores autem superius commigraverunt*: a te discussa, & recte interpretata, *Diss. pag.* XV., subdit: ὕστερον δὲ Λευκανοὶ μὲν ἐκείνους ῥωμαῖοι δὲ ἀφείλοντο τὴν πόλιν *his Lucani postea, Lucanisque deinde Romani ademerunt urbem*; urbs Posidonia ab iis voca-

ta

ta fuerit Pæstum, quasi Pistum, h. e. urbs procul calcata, atque devicta, ab antiquo verbo *pinso*, *pistum*, quod est *proterere*, *protritum*?

Quid autem rei est, quod me impediat dicere, scripsisse veteres *pænso* loco *pinso*, *pæstum* loco *pistum*, quum sciatur, ipsos interdum usos litera I loco diphtongi Æ, ut in *pertisum*, *distisum* pro *pertæso*, *distæso* notant Festus, & Cicero; & contra literam I interdum diphtongo Æ etiam successisse? En verba Claudii Dausquj, *in Orthogr. lat. serm. vet. ac nov., edit. Paris. sect. 3. pag. 35.*: *Ita factum* pridie *quasi* prædie. *Ita* exquiro, inquiro, *Plautus immutatum scripsit* exquære. *Ita* sempiternus *pro* sempæternus, privilegium *ex* prævilegio *nonnulli volunt*. *Formiis in Transtyberina*

QVOD . PRAEVILEGIA . EORVM &c.

Deinde, quum *Posidonia* fixas radices habeat in lingua græca, potius adhærendum Salmasio, qui ex corrupto græco nomine factum esse *Pæstum* ad Solinum notavit. Missis aliis, de quibus in obviis lexicis, en radices. Fulgentius, *in Mithol., lib. 1. pag. 123.*, edito post C. Julium Hyginum, aliosque *Basil.* MDLXX. *Neptunum vero*, inquit, *tertium aquarum*
vo-

voluere elementum, *quem ideo Græci etiam* Posidona *nuncupant*, *quasi* ποιῦντα εἴδω, *quod nos latine*, facientem imaginem *dicimus*, *illa videlicet ratione*, *quod hoc solum elementum imagines in se formet spectantium*, *quod nulli alii ex quatuor competat elementis*. Sylburgius autem, *in Etymol.*, verbo ποσειδῶν: παρὰ τὸ τὴν πόσιν τῷ δίᾳ (ἤγουν τῷ ἡλίῳ) ἀναπέμπειν. ἐκ γὰρ τῆς θαλάσσης ὁ ἥλιος αἰνίμαται τὴν ὑγρότητα. hoc est, ex eo, quod mare τῷ δίᾳ soli πόσιν potum transmittit, dictus est ποσιδάων, quasi *potum soli subministrans*; etenim ipse ex mari vapores haurit, atque elevat. Prosequitur Sylburgius ἐκ τούτου γίνεται ὁ ποσιδάων· καὶ ἐξ αὐτοῦ ποσιδέων, ὅθεν ποσιδῶν· ὁ τροπῇ δωρικῇ τοῦ ε εἰς α, ὡς ἐπὶ ἄλλων πολλῶν, γίνεται ποσιδᾶν, scilicet: Ex hoc vero fit *Posidaon*, & ex *ipso Posideon*, (h. e. fanum Neptuni, vel mensis Neptuno sacer), unde contractus *Posidon*, ac dialecto dorica ε in α permutato, sicuti & de aliis multis, fit *Posidan* -, hactenus Sylburgius, cujus etymologiæ redditæ convenit versus IV. *Od.* XIX. Anacreontis

Ὁ δ᾽ ἥλιος θάλασσαν

Phœbusque potat æquor.

Novissimo loco, quod ad systema attinet, Mazochius adfirmat, *loc. cit. pag. 499.*, Sybaritas

ritas quingentis fere annis ante Christum D. expulisse Pæstanos, urbemque ab eis nominatam *primo* fuisse Posidoniam.

Atqui secundus a te editus, *tab.* I., nummus, probat, saltem LXXVI. annos ante Sybaritarum adventum, juxta supputationem Mazochii, eam urbem vocatam fuisse Posidoniam. Nam eatum literarum ᒥ, & ᔕ, & ᖇ in nummo forma habetur in marmore, quod in Troade inter Sigæum Promontorium, & campum amnis Scamandri prostat. Marmor græcorum omnium antiquissimum, quodque a Chisullo, *in Antiquit. Asiat.*, ad Olympiadem I. refertur. Siquidem, quum annus I. Olympiadum ab Iphito incidat in annum ante Christum DCCLXXVI., si CC. detrahas, quot efficiunt Olympiades L., habentur anni LXXVI. supra 5. ante Christum: atque ita LXXVI. anni ante Sybaritarum adventum Posidoniam, juxta supputationem Mazochii. Porro constat, unamquamque ætatem suos characteres effomandi rationem habuisse, ut a Montefalconio in Palæographia, ac Hieromonacho Epitomatore luculentissime assertum est.

Sed hæc, eruditissime Magnoni mi, crasso filo, &, forsan, ad ravim usque. Atenim vero enumeranda erant in Commentariolum ab tua

tua Differtatione conlata bona, ut Senecæ monenti loquendum illi efse, qui beneficium accepit, obtemperatem, tibique ingentes, ut facio, grates haberentur: hinc etiam de meo aliquid in Mazochii fyftema erat adtexendum. Tu munufculum, non re, fed ex voluntate metieris, & amare me quum inceperis, æternum amare perges; te enim amari a me certo fcias, quoniam, etfi locorum intervallo disjungimur, nihilominus pulcritudine tua mirum in modum fum illectus: nam te illis oculis afpicio, quibus virtutem cupiebat Plato. Vale.

Romæ IIII. Kal. Nov. Anno a Virgineo Partu MDCCLXIV.

IMPRIMATVR,

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordanus Archiep. Nicomed. Vicesgerens.

IMPRIMATVR.

Fr. Thomas Qualeatti Ordinis Prædicatorum Rmi P. Mag. Sacri Palatii Apost. Socius.



